

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CLXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Luctus nobis vobiscum communis est, vir Reverende & clarissime frater, quod intelligamus, quam gravem jacturam fecerit Ecclesia vestra & Academia doctissimorum Symmistarum morte, neque non tibi reliquisque metuimus, ut quibus cura est ex animo Ecclesiae scholaeque vestrae incolumitas. Quod unum ergo possimus, precemur Dominum, ut mitiget pœnas peccatis nostris debitas. Nam sicut ex schola vestra & Ecclesia, complurimae aliae sunt adjectae hactenus: ita complures detrimentum accepturas, certum est, si quid porro ei accidat adversus, spes autem nobis est in DEI misericordia, qui castigans castigare solet, sed morti non tradere. Cum D. Brune de variis contuli, qui cum sit tibi conjunctissimus, referet omnia: insignis meo judicio vir, ut in quo egregia doctrina cum eximius virtutibus certet. Porro quod Boini Medici filium attinet, id ago, ut per patrem huc vocetur, quod licet hoc tempore fieri vix queat, recrudescente apud Genevates peste, quae ipsum avelli non patitur, posthac tamen spero occasionem datum iri, neque vos istuc cum DD. Scholarchis abs re accuratè omnia perpenditis, quò habeatis in schola tradendae arti Medicae idoneum virum & simul in religione per omnia consentientem, ne qua oriatur novae *divexurinae* occasio, quae quam perniciofa sit, abundè experti estis, & experiuntur hodie complures alii. Res Gallicas afflictas admodum esse constat, successui rex incumbit, quantà vi maximà potest, ut si queat conficiat hac hyeme bellum. Nec videtur hybernandi facultatem Amiraldo facturus. Unicam, ut audimus, spem repositam esse Evangelicis in auxiliis Germanorum, quae utinam non sint baculus arundineus Aegypti. Quam enim parum feliciter tentatae sint Germanicae in Galliam expeditiones, satis constat, ut Domino improbari videantur equi & equites nostri; ut sui regni cum propagationem rum conservationem alia ratione procuret. Sed bene vale, vir reverende & charissime frater, cum uxore filiisque tuis & collegis omnibus, quibus meis Cocci & Fueglini verbis amanter & reverenter. Scripsi Basileae, in die solstitii brumalis, Anno 1569.

T. R. d.

totus Simon Sulcerus.

CLXVI.

SIn Christo. Quae nunc scribo, Reverende vir & frater chariss. scribo tanquam coram Domino, in sinceritate mentis, attestante mihi simul conscientia mea per Spiritum Sanctum. Et scribo Tibi, tanquam patri colendo & fratri amantissimo, non alteri: nam & ego nemini hominum haec communicavi. Proinde etiam obtestor & adiuro te per eum, qui novit occulta cordium, ne has literas, aliis legendas des, neque ut per alios dentur, per-

permittas: sed apud te diligenter asserves & recondas, vel etiam, si placet, in ignem conjicias. Tibi enim ego me meumque animum totum aperio. Et quia nunquam te aliter quam candidè mecum agere animadverti, agam & ego vicissim, ut par est, fide bona & ingenua. Ita me DEUS Opt. Max. juvet, Amen.

Cum nuper pridie S. Thomæ Apostoli literas tuas accepissem, festinanter & cursim quasi *in perlegi* eas perlegi, raptim etiam, atque tumultuariè respondi. Nam & Tabellarius in patriam suam Bernhusam properabat, & mihi in Cancellariam eundem erat; ideòque cogitationes meas tum non intende-
re, neque rem, quam petebas, brevibus expedire poteram. Posteaquam verò easdem literas tuas attentius semel atque iterum, imò ter & quater legi & relegi, sensi mirabilem quandam impressionem in animum & intimos sensus meos ex ipsis factam. Primum enim mors duorum collegarum tuorum, præstantium certè virorum, mirificè me affecit, quos scio Christum verè agnovisse & ardentè dilexisse. Deinde tua ex illorum obitu concepta tristis quasi ominatio, de subsecutura (quod DEUS clementer avertat) ruina vel Reip. vel Ecclesiæ & Academiæ vestræ, animum meum vehementissimè perculit. Tum deinde desiderium tuum, & Ecclesiæ, & Scholarcharum, & totius Senatus vestri, quo de substituendo & adjungendo tibi altero Collega piè & sollicitè cogitant, rursus me erexit & valde recreavit: certumque apud me quidem, indicium ac testimonium habitantis inter vos ac diutius apud vos mansuri DEI, ignemque & focum suum in vestra urbe conservari, præbuit. Postremò cum ad hæc epistolæ tuæ verba venissem, quæ sequuntur, planè obstupui:
„ Talem (inquis) ut uno verbo absolvam, requirunt, qui tibi sit similis. Joci-
cari hic pro tua erga me singulari benevolentia & humanitate primum vide-
bare. Mox verò cum ulterius legerem: Quamvis reipsum nobiscum vive-
re malle: si ut optare, ita & à te petere, & à tuo Principe consequi nos
posse sperare liceret. Hoc verò impetrare difficile esse arbitramur, &c.
Hæc inquam verba cum sæpè relegerem, dici non potest, quonam modo me
affecerint. Videbam enim jam te non joci, sed serio, ut in te seria, & gra-
viter loqui. Cum ergò singula verba ponderarem, & intelligerem, vos opta-
re, ut vobiscum vivam ego: ac si liceret petere, id petituros, si modo sperandum
esset, quod possetis me consequi & impetrare ab Illustriss. Principe meo. Hic
animus meus subito quasi cælo tactus, suggestit: Quid si præter omnem tuam
expectationem alio te avocaret DEUS? Quid si voluntatis suæ indices & in-
terpretes esse vellet has D. Marpachii, quem fidelem esse servum in domo Do-
mini dubitare non potes, literas? Quid si, quæ D. Marbachius solus scribit,
ea etiam ex cæterorum Collegarum suorum sententia scriberet? (nam & antea
clare scripseras, te voluntate ac mandato Senatus & Scholarcharum ad me

bere.) Quid si gemis vota que Ecclesiæ totius & Scholæ labantis, virum juvenem, robustum, & per DEI gratiam ferendis laboribus ecclesiasticis ac scholasticis parens, requirerent? Posses ne (inquam egomet ad me ipsum) optanti ac desideranti operam tuam Ecclesiæ, & Academiæ tali ac tam piæ, laboranti maximè & periclitanti, denegare? & propter tuum privatam ocium publicos labores & onera communitati subterfugere? Mox oriri etiam inter duo honesta & utilia apud animum meum comparatio: Utrum videlicet ecclesiæ Studgardianæ, an vero, Argentinensi simul & ecclesiæ & scholæ fructuosius servire possim? Occurrebat & hoc cumprimis: Non es tui juris, Principis es Stipendiarius, sine cuius clementi permissione nec potes nec debes discedere. Sed simul occurrebat, nostrum Principem nulli Reip. seriò petenti, ministrum, sive is Stipendiarius esset, sive non, unquam negasse: & Stipendiarium posse Principi suo non tantum in suo Ducatu, sed alijs etiam in locis servire ac prodesse: esseque Principibus honori atque ornamento, si Stipendiarios suos etiam alijs Dominis subministrare ad communem utilitatem possint; ut nuper in Ducatum Brunsvicensem cum laude missi sunt aliquot, & nuperrimè Wimpinam missus est Wilhelmus Zimmermann, creatus ante octiduum Theologiæ Doctor. In his cogitationibus ac quasi disceptationibus, & variarum rationum conflictu, subintelligere mihi videbar, illam ad Galatas phrasin Paulinam: *ὁ ἀργεντινῶν ἐσθλὸν ἔσθλῳ ἀντιπρῶτον*. Cumque insequentibus diebus semper & singulis penè momentis mihi ob oculos animumque Argentina obversaretur, vigilantem, dormientem, cibum capientem, euntem, stantem, sedentem: tuæque literæ pijs gemitibus & votis plenæ eum in animo meo stimulum defixissent, qui me semper pungeret, & subinde auribus meis hæc quasi vox insonaret: Argentinæ laboranti succurre, nolui obstinatè ac pertinaciter reluctari & vim facere conscientiæ jubenti, & convincenti, eò potissimum esse accurrendum, si legitime fieri queat, ubi periculum majus sit, & ubi fructus copiosior Domino & ecclesiæ adferri possit. Sic ergo tandem in nomine Domini constitui, si collegii vestri libera electione & clementi approbatione inclyti Senatus vestri ad successionem in officio M. Specceri p. m. vocarer, me quantum in me est, si Clementiss. Princeps meus permittat, in nomine Domini nostri JESU Christi legitimam vocationem vestram suscepturum secururumque esse.

Ut autem tali vocationi minus difficulter assentiar, faciunt hæc, quas liberè tibi exponam, causæ.

1. Inde à puero Argentinam etiam nunquam à me visam amavi, deque ea schola & ecclesia honorifice sensi, & quoties Argentinam nominari audivi, gestum quasi & exultavi. Et, quod ridiculum fortassis est à me dici, sed vere tamen dico, filii mei vix balbutientes semper de Argentina garriunt: & Fælix, è duobus senior, de D. Marbachii Ulricho sapissime percontatur, seque ab eo ad scholas ductari optat. Dicam & aliud aliquid ineptius. Libenter enim suffers insipientem, cum

vocè

verè sis sapiens. Stndiosus adhuc Tubingæ cum essem, somniavi de Argentinenſi Templo & Cathedra, ac me ibi stare per quietem mihi viſus ſum. Atque id ſomnium tam altè mihi impreſſum, & memoriæ infixum fuit, ut cum cætera pene innumera mihi è memoriâ exciderint (ut certè ſomnia nunquam curavi, quæ vana & fallacia eſſe ſolent) hoc tamen ſemper tenaciter inhæſerit, & adhuc vividæ recentique memoriæ infideat.

2. Cum te primùm Argentinæ vidi & allocutus ſum, exultavit, ita me DEUS amet, cor meum & ſpiritus meus, ac te ita diligere colereque cœpi, ut ſi per ſaxa per ignes tibi gratificari poſſem, haud gravatim eſſem facturus. Deinde cum in ædibus M. Specceri p. m. hoſpitis noſtri humaniſſimi, ex bonis viris, Flinnero præſertim, cognoviſſem ſancti Lutheri ſpem de te juvene olim conceptam & graviſſimum de te pronunciatum teſtimonium, ignis amoris erga te mei accenſus eſt vehementius. Nam quem divinus Lutherus commendavit, is certè coram DEO & hominibus commendarus eſt. Poſteaquam vero etiam tuos de Majeſtate Domini noſtri JEſu Chriſti ac ejuſdem ſacroſanctæ Cœna, piè, eruditè ſolidè & graviter ſcriptos libros legi, & unanimem per omnia conſenſum cum Wirtembergeniſibus Theologis vidi, ita me tibi addixi, ut qui Marbachium amat, hunc meipſum amare, qui illum ſpernit & odit, me odiffe & flagellare exiſtimem. Imò hoc certò ſcio, quod qui te ſpernit, non hominem ſed Chriſtum ipſum, in te viventem & loquentem, ſpernat. Sic judico, ſic ſcio, ſic ſtat ſententia. Tuas igitur ad me literas pro oraculis, ſuo modo, habeo.

3. Ea humanitate, ea liberalitate totum veſtrum Miniſterium me indignum homuncionem exceperit, tractavit, ſermones & colloquia mecum miſcuit, deduxit, reduxit, dimiſit, ut affirmare verè poſſim, dies mihi in vita jucundiores illuſiſſe non multos, quam duos illos, quibus vobiscum fui, & ingratiffimum me eſſe oporteat, ſi non quacunquè honeſta ratione poſſim, vobis viciffim gratificer,

4. Tanta benignitate, comitate, favore, veſtri me Conſules & Prætores, D. Lotcher, D. Henricus à Mülnheim, D. Johanus, D. Ludov. Grempius, (quanquam de hoc, ut Sympatriota, non mirum) in prandio & menſa conſulari exceperunt, quantum ego in tantæ dignitatis hominibus ſperare nunquam potuiſſem. Et quod obliſci nunquam potero, Mühlenhemius ſuis ex oculis, ſpontè ac fronte hilari, & ſerena, ſymbolum ſeu impenſam prandii pro me perſolvit. Taceo jam, quantum benevolentia à clariffimis viris, Rectore Sturmio, Grempio, Gerbellio Archigrammato, Erythæo, tuis in ædibus in luculenta illa cœna mihi declaratum fuerit. Quæ certè omnia ita meum affecerunt animum, ut Remp. veſtram propter verbi miniſterium ſyncerum, Magiſtratum pium ac prudentem, Scholam eruditam & ſedulam, cives honeſtos & quietos, verè beatam eſſe ipſe cogitaverim, & apud alios prædicaverim. Et quid veſtræ Civitati tribuam, ex præfatione libelli mei non ita pridem excuſi, cui Titulus eſt, *Das verſeugnere Waſtumb/* vident, qui legunt.

3. Sed ista fortassis leviora. Hoc autem certè est gravissimum, & quod me plurimum movet. Video ac re ipsa experior, Diabolum nascenti & emergenti Academia vestrae apprimè infensum esse, & obniti obluclarique modis omnibus, ne vel in corpus solidum coalescat, vel ut coalita mox rursus dissiliat & dissipetur. Vider quippe veteranus & veterator, quæ nam & quanta commoda, non in Germaniam modò, sed in vicinam quoque Alsatiam, Lotharingiam, Helvetiam, ipsamque Galliam, & complures alias nationes, inde redire possent, & quam uberes venæ ex his fontibus derivari ad alios, cum religionis veræ, tum omnium bonarum artium, si, ut cœperat, florere vestra Academia pergeret. Fremit igitur & furit Sathan, ac se transversum viis omnibus opponit, movet & molitur omnia, ut tot ingentia bona impediatur. Quantum ergò ille *καταστροφῆς* demoliri studet, tantum pii omnes fulcire, restaurare, strenuè exædificare, & *παινεθῆναι* istius fortiter resistere pro viribus singuli debent. Ad quod certè ego meam opellam, & exiguum talentum, præsertim cum id à viris piis & DEO charis optari videam, pro virili mea, quantum consilii auxiliique suppedabit Dominus, conferre non detrectabo.

At ecclesiam tuam desereres, (inquit aliquis, & sic meæ mihi rationes occidunt) Imò verò illa, etiam si ego avocer alio, nequaquam deseritur aut fidelibus ministris destituitur.

6. Certè enim mori potius malim, quam eam orbam relinquere. Sed potest locus meus per alios doctiores, aut saltem non indoctiores, commodissimè suppleri. Sunt enim in hac una civitate præter Reverendum Patrem D. Brentium, senio curisque, pro dolor, confectum, duo doctissimi viri, M. Balthazar frater meus, & D. Lucas Osiander : & præter hos duos, alius non multum eruditione & facundia impar, M. Johannes Fabricius, ad S. Leonardum concionator ; & diaconi præterea duo eruditi & disertissimi, ut de pastore Xenodochii M. Bernhardo, populari sed non valde docto viro, taceam. Itaque carete meæ opera sine magno incommodo & jactura potest Studgardia, abundans certe ministris idoneis sive frater meus, sive Osiander, sive etiam Fabricius in locum meum substituantur. Secus si esset, mille mortes malim oppetere, quam ecclesiam hanc meo & aliorum ministerio prorùs destitutam relinquere, cui annos propè decem, tres quidem, ut Ecclesiastes ad S. Leonardum, Magister adhuc, septem, ut summi templi Pastor & Doctor præfui eadem fide, quæ dante DEO potui maxima, fructu autem illo, quem novit DOMINUS, conscientia certè neque mala, neque impura,

7. Huc accedit illud, quod etsi postremo loco à me ponitur, tamen non est minimum. Quod nam hoc? Curialia negotia multum me exercent, & plus negotii quam reliquæ functionis meæ partes mihi faciunt. Ego verò à natura ad docendum quam regendum aptior mihi esse videor. Scis autem partem regiminis esse, consiliis Ducalibus, ac sæpè non tam Theologicis quam Politicis, interesse. Mediæ hebdomadæ partem mihi illa odiosa negotia abripiunt, fructu ecclesiæ aut nullo

nullo aut incerto: Studiorum autem meorum, quæ mihi cunctis opibus & vita ipsa chariora sunt, damno maximo & certissimo. Nam quod tempus studiis Theologicis, meditationi, scriptioni, possẽ utiliter tribuere, id finium regundorum (ut olim loquebantur) iudicio, aut causarum matrimonialium decisioni, aut deliberationi de Præfectis, Scultetis, Saltuariis &c. reformandis, aut aliis nugis impendere cogor. Coram hominibus politicis & ambitiosis, φιλοτίμοις ac φιλοκόμοις potius quam φιλοθέοις ista quidem splendida & luculenta videntur: Esse consiliarium Principis, Assessorem Consistorii, Judicem multarum controversiarum, posse fieri Abbatem; ac sunt sanè etiam de pane lucrando. Cùm autem arbitrer, DEUM me ad docendum vocasse, malim id, quod ab ecclesiasticis negociis vacuum est, tempus, scholasticis operis (quas DEO gratissimas esse scio, licet coram mundo contemptibiles) tribuere, quam illis Curialibus & Aulicis, quæ sæpe invidiam & odium concitant, si verè ac liberè loquaris, vel conscientiam vulnerant, si taceas, & ad omnia annuas. Esse autem me ad docendum, sive in ecclesia, sive in schola, sive urrobiq; natum & à Domini Spiritu firmatum agnosco, & pro hoc dono gratias ago DEO meo, quod tamen scio, quam sit exiguum. Sed hæc te ex Tubingensium testimoniis, etiam adolescenti mihi datis, cognoscere malo, quam ex mea prædicatione Thraconica. Certè, si me Dominus vobiscum esse voluerit, nemini nocebo, & concordiam ac confessionem inter docentes & discentes, iuvante Christo, ita tueri studebo, ut nec pacem, nec modestiam, nec ulla hospitii jura me violare cognoscant omnes ii, quorum interest.

Una restat difficultas: An ab Illustrissimo Principe impetrari mea possit dimissio: Id sanè soli DEO notum est; Sed tamen non ἀδύνατον esse videtur.

1. Sic enim existimo, Amplissimam vestram Remp. ea apud Principem nostrum & Consiliarios prudentiss. auctoritate valere, ut sive maximum sive minimum inter ministros è toto Ducatu nominatim petat, obtinere possit.

2. Exposita ecclesiæ & scholæ vestræ necessitate ac penuria:

3. Et commemorata veteri vestra cum nostris Ecclesiis conjunctione, quæ jam inde à Concilii Tridentini temporibus feliciter incepta & hæctenus sanctè culta, perpetuoque conservata, toti orbi Christiano innotuit, & ecclesiæ filii DEI hæctenus ornamento & emolumento fuit.

4. Ac profectò utriusque Reip. cùm Wirtembergicæ tum Argentinesis non parum interest, ut vetus illa ac salutaris utriusque concordia, eodem tempore continuata, deinceps quoque integra & inviolata conservetur. Nam ut in exercitu non minus præsidii in alacrum fide virtuteque positum est, quam in legionum & dense phalangis robore, ita etiam, quo hujus Ducatus Ecclesiæ, quasi media legio, cura sit à lateribus & probè tecta, plurimum est in eo situm, ut alicæ utrinque expansæ, hinc Ulma & Augusta, illinc Marchionatus Badensis & Argentina, piè fideliterque cum nostro Ducatu consentiant, & sibi invicem auxiliares manus præbeant.

5. Idque Illustrissimus Princeps noster p. m. pro sua singulari pietate & prudentia optimè intellexit, ac idcirco pro illis vicinis ecclesiis, semper non minus quam pro suis fuit sollicitus. Spero autem, & hunc nostram juniorem Principem Lud. idem esse intellecturum & diligenter perpendurum.

6. Præterea etiam Richenvillanæ ditioni non oberit, si in vicinia Doctorem è Ducatu Wirtembergico, ceu speculatorem, habeat.

7. Extant etiam similium dimissionum exempla plurima. Nam Illustriss. Marchioni Phorcenſi; Generosis Comitibus Oetingenſi, Hohenloënsi, Hano- uienſi; multis nobilibus; plurimis Civitatibus, Reuttlingæ, Eſſlingæ, Gien- gæ, Rotenburgo ad Tuberum, Swinfurto, Bibraco, Hailbronæ, Campoduno, Hagenoæ, Auguſtæ, Stainaco Ornauico jam pridem; nuper Wolffenbutelo, Wimpinæ, Labaco etiam in Sclavoniæ finibus ſito, ministros ac plerosque Sti- pendiarios ſuos, aliquos & Doctorum titulo ornatos, miſerunt Duces noſtri Chriſt. & Lud. Cur ſoli Argentinæ, ſi petat, ſimile beneficium denegaret, aut cur in hac ſola amiciffima civitate & ampliffima Rep. liberalitatem ſuam claudi & deſeri pateretur pius & clemens Princeps?

8. Adde, quod (ut ſupra dixi, & nunc repeto) ſarciri defectus ac ſuppleri lo- cus meus commodè & idoneè poteſt, per M. Balth. D. Oſiandrum, vel alium.

9. Faciliusque erit ſemper, paſtorem eccleſiæ Studgardianæ vel conciona- torem aulicum invenire, quam Argentinenſi eccleſiæ & ſcholæ Doctorem ac Profeſſorem;

10. Præſertim cum ſpes de conſequendo Clariff. D. D. Chytræo evanille videatur.

Hæc & alia argumenta, quæ Magiſtratus veſter pro ſua prudentia melius perſpicere, & dextrè in literis ad Principem noſtrum proponere poterit, fortal- ſis Illuſtriſſimo Principi meo id perſuadebunt, quod alioquin alii, quam Ar- gentinenſes, non impetrarent. Sed cor Regis in manu Domini, & divina- tio in labiis Regum eſt. Dominus autem faciat, quod bonum eſt in conſpectu ſuo. Huic rem totam committo.

Quæ cum ita ſint, & ego præter expectationem meam, nullis meis ante- grediſis practicis aut machinationibus divinitus me ad vos vocari & trahi exiſti- mem, tibi ſoli hominum, ut patri & fratri colendo, hæc in ſinum tuum effun- dere volui, ut non minorem eſſe meam erga vos propenſionem, quam veſtram erga me benevolentiam videas. Et hanc animorum noſtrorum conſenſio- nem ac harmoniam ſeu *συμβιβασμόν* planè arbitror eſſe ortam ab eo, qui facit oculus videntem, & aurem audientem, & qui per unitatem ſpiritus ac fidei sæpè eorum, qui locis ſunt diſjunctiſſimi, corda conciliat, & corpora copulat.

Quare, ut tandem proluxæ Epistolæ finem imponam, ſi in Collegio ve- ſtro deliberatio inciderit de vocando ſucceſſore M. Specceri p. m. liberè pote-
ris

ris proponere, te scire, animum meum à vestra Ecclesia & Academia nequaquam esse alienum, & quantum in me sit, nequaquam vestris commodis esse defuturum. Consulant igitur in medium, in verotimore Domini, an ex usu Ecclesiae & Scholae vestrae esse videatur, ut inclyto vestro Magistratui nominer & vocer? Nihil autem amplius à te de me dici, agi, rogari, peti, subornari, praeferari, obsecro & obtestor. Volo enim liberrimam & incorruptissimam esse electionem & vocationem vestram, quæ certè alioquin infœlix esset, si malis artibus procuraretur. Ego in manu Domini positus sum. Qui si me vobiscum esse voluerit, consilia vestra diriger, & animos ad me inclinabit. Sin minus, ego conscientiam liberavi meam, quæ me vobis optantibus ac petentibus operam meam denegare prohibuit. Quod si eveniret, ut liberis & sincervis suffragiis Collegii vestri eligerer, & Magistratui nominarer, tum Tu pro tua sapientia & dexteritate non ex me, sed ex te Magistratui argumenta subministrare poteris, & superiora decem & alia, quibus in petenda mea opera apud Illustriss. Principem meum probabiliter & verè uti queat.

Tandem cum Jeremia ex intimo cordis affectu pronuncio: Non est hominis via ejus, nec viri, ut dirigat gressus suos. Commendo igitur tibi DOMINE viam meam, & TU FACIES. Jacto & devoluo curas meas super te, & TU me enutries.

Christe sequar, quocumque vocas, tu dirige gressum,

Ductus ab athereo flamine, tutus ero.

Bene ac feliciter in Christo vale, vir clariss. frater amantissime, Sturgardiæ, 24. Decembr. Anno 69.

Tuus ex animo

Wilh. Bidenbach, D.

Hunc tabellarium, proprio meo ære conduxì, ut certum & fidum nuntium haberemus. Nam fortuiti sæpè incerti, negligentes, & infidi sunt. Si vos aliquid ei dabitis, mihi rescribe. Nescit autem, cur eum miserim. Neque tu ei dicas.



CLXVII.

(Epistola ad Annum 1557. pertinens.)

ILLustrissimus Princeps noster Ulricus, Dux Megapolensis, in Metropoli Regni Daniæ, Hafnia, quæ viginti octo milliariibus à nostro littore abest, nuptias
hisc